



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. II. An seclusâ Dei revelatione possit aliquis in hac vita habere
certitudinem infallibilem de sua prædestinatione & salute?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

riam, sed etiam ad gratiam: quod est incidere in errorem Pelagianorum & Massilienfium, disputatione secundâ impugnatum. Sequela probatur: Ille bonus usus sic prævisus, prout descendit à me, & exit à meo libero arbitrio, est aliquid bonum & placens Deo, cum per illum voluntas subjiciatur gratiæ, & generalis Dei providentia per illum reddatur efficax, & prædestinativa, ut docet Molina supra relatus; atque adeo Deus speciali amore diligit illum hominem sic bene cooperantem & strenuè agentem cum gratia, quo non diligit alterum ignavum & torpentem, licet eandem gratiam recipiat. Sed illud quod ex parte hominis est ita placens Deo, & dignum speciali amore, etiam est dignum aliqua recompensatione & retributione Dei: Ergo ex parte nostra datur causa & motivum sufficiens prædestinationis ad gratiam, bonus scilicet illius usus à Deo prævisus. Quod si Deus non fuerit propter illud motivum dare gratiam, sed liberaliter, non erit ex defectu motivi ex parte hominis, sed quia ipse Deus non vult illo uti: nobis autem sufficit, pro inconvenienti inferre quod ex parte nostra detur id quod sufficit ut Deus inveniat motivum dandi nobis primam gratiam, & prædestinandi nos ad illam, & quod non utitur isto motivo, non est quia non detur ex parte nostra, sed quia non vult illo uti.

19. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Petitio & desiderium bonorum operum, & fidei ac bonæ voluntatis initia, quæ ponebant Semipelagiani dari in nobis ante gratiam, & non esse effectus illius, nec dona Dei: secundum doctrinam SS. Patrum erant sufficiens motivum ut Deus daret gratiam, & prædestinaret homines ad illam. *Quis enim* (inquit Augustinus de prædest. Sanct. cap. 2.) *dicat eum qui jam cepit credere, ab illo in quem credit, nihil mereri.* Et S. Prosper libro contra Collatorem cap. 3. *Nec enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia.* Ergo cum bonus usus liberi arbitrii in se non sit minoris bonitatis & excellentiæ, quam illa prima initia quæ ponebant Semipelagiani ante gratiam, ille non minus erit meritum vel motivum ad prædestinandum homines ad gratiam, si non sit effectus & donum ipsius prædestinationis & gratiæ. Frustrâ ergo Molina ponit bonum illum usum, seu cooperationem liberi arbitrii, esse solum conditionem ut gratia & prædestinatio sit efficax, non autem motivum cuius intuitu gratia detur: si quidem cooperatio illa, seu determinatio voluntatis, est de se bona & placens Deo, non minus quam desiderium petentis, & fides pulsantis; & aliunde non est effectus causatus à gratia & prædestinatione, ut docet Molina: habet ergo quicquid requiritur, ut sit motivum dandi gratiam, & prædestinandi nos ad illam.

20. Tertium inconveniens quod infert D. Thomas ex sententia quæ docet quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addit nisi certitudinem præscientiæ, est quia Prædestinatio non esset per electionem prædestinantis: Quod (inquit) est contra auctoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Dicitur enim ad Roman. 11. *Reliquia secundum electionem gratiæ salva facta sunt.* Ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius, &c.* Et infra: *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Joann. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Idem constat

A ex testimoniis Augustini disp. 2. art. 1. *relectis.* Quod autem hoc inconveniens ex Molina sententia sequatur, breviter ostendo. Illud solum est per electionem prædestinantis, quod à Deo causatur, & quod est effectus ipsius gratiæ & prædestinationis; cum enim electio divina sit efficax non supponit, sed ponit & causat suum objectum: Ergo cum in sententia Molina, consensus & bonus usus liberi arbitrii, prout ab illo exit, non causetur à gratia, nec sit prædestinationis effectus, ut constat ex dictis disp. præcedentis, talis consensus non est ab electione ipsius Dei prædestinantis; sed solum ab electione ipsius humanæ voluntatis, ex innata libertate determinantis ad illum.

B Confirmatur ex Augustino de prædest. Sanct. cap. 19, ubi ex illis verbis Joann. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,* probat contra Semipelagianos, fidem non præsciri ante decretum de prædestinationem Dei: *Non enim* (inquit) *quæ credidimus, sed ut credamus, elegit nos Deus, ne prout eum elegisse dicamur, falsumque sit (quod aliter) non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ex quibus verbis hoc potest argumentum desumi. Secundum Augustinum hæc consequentia est bona: Deus præscit ante decretum fidem credentium: Ergo non eligit ut credant, sed ipsi credendo eligunt illum. Ergo similiter hæc consequentia erit legitima: Deus præscit ante decretum consensum liberum quem ego daturus sum vocationi ad credendum, si vocet in his occasionibus & circumstantiis: Ergo Deus non eligit consentium meum liberum, nec eligit me ut consentiam fidei, sed ego prior eligo eum consentiendo.

C Omitimus referre & solvere argumentum contrarium, quia solum sunt illa quæ vel altere conantur scientiam mediam, vel destruerent efficaciam intrinsecam divinorum decretorum, aut prædefinitionum, antecedenter ad prævisionem nostri consensus. Unde vel soluta sunt, vel solventur infra, quando agemus de concordia libertatis cum divina providentia & prædestinatione.

ARTICULUS II.

An seclusa Dei revelatione possit aliquis in hac vita habere certitudinem infallibilem de sua prædestinatione & salute?

Dico primò: neminem in hac vita, seclusa Dei revelatione, posse certò scire, an sit de numero prædestinatorum. Conclusio est certa de fide, contra Calvinum, aliosque hujus temporis Hæreticos, asserentes omnes fideles teneri sub divinâ credere se esse prædestinatos, & consequenter omnes habere certitudinem infallibilem de sua prædestinatione & salute. Qui error Tridentinò proferibitur sessione 6. cap. 12. his verbis: *Nemo quamdiu in hac mortalitate vivit, de arcana divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certò statuatur se omnino esse in numero prædestinatorum.*

Eadem veritas ex Scriptura & SS. Patribus colligitur. Dicitur enim Ecclesiastes 9. *Sicut nescit homo, quæ hora veniat manus Dei, & quæ hora veniat ira eius, ita nescit homo, quæ hora veniat manus eius, & quæ hora veniat ira eius.* Quis ergo (inquit Bernardus) potest dicere ego sum de electis, & quæsum de numero filiorum; reclamante Scripturâ, *nescit homo an odio vel amore dignus sit?* Quis (adhibet Augustinus) ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivit, in numero prædestinatorum se esse præsumat.

Ratio etiã id suadet: Nemo enim potest cer-
to scire ea que pendent ex sola voluntate Dei,
sed scire ea que revelantur ut ait Apost. 2. ad Co-
m. Deus ea revelat ut ait Apost. 2. ad Co-
m. Nemo novit qua sunt Dei, nisi Spiritus Dei: Sed
nostra prædestinatio pendet ex sola & gratuita
voluntate Dei, ut patet ex dictis disp. 2. Ergo se-
clusa Dei revelatione, nemo scire potest, an nu-
mero prædestinatorum adscriptus sit.

Confirmatur: Nemo potest habere certitudi-
nem infallibilem de sua prædestinatione & sa-
lutate, nisi etiam habeat infallibilem certitudinẽ
de sua perseverantia, quæ est certissimum salutis
pignus, archa celestis gloriæ, & ut ita dicam,
prædestinationis cum glorificatione fibula, quã
æqueque indissolubili nexu connectitur, juxta
illud Christi Matth. 10. Qui perseveraverit usque
in finem, hic salvus erit, unde Iepide Blesensis: Cum
veritates omnes currant ad bravium, sola perseverantia
remanet, & gloria filie Regis est in sinubus aureis;
quæ nihil prædest. gloria bonæ conversationis in princi-
pio nisi sit gloriosus & finis. Quia de causa in sinubus
vestimenti Summi Sacerdotis, Deus iussit appo-
ni malogranata, quibus coronam naturæ indi-
dit, ut significaretur, coronam dari soli perseve-
rantia. Cum ergo nemo, seclusa speciali Dei
revelatione, possit habere infallibilem de sua
perseverantia certitudinem, ut docet Augusti-
nus de dono persever. cap. 13. & definit Tridenti-
num sessio 6. can. 16. manifestum est, nemi-
nem in hac vita posse esse de sua prædestinatio-
ne & salute securum. Unde Hieronymus Epist.
ad Iovinianum: Ne lauderis hominem in vita sua,
omnes in certamine sumus, sed quis accipiet bravium,
solum mors manifestabit.

Confirmatur amplius: Seclusa fide & revelati-
one divina, non potest aliquid certo cognosci,
nisi per causam, vel per effectum: Sed neutro
modo potest cognosci prædestinatio: illa enim,
ut diximus, non habet aliam causam, quam gra-
tuitatem divinæ voluntatis decretum, quod nobis
occultum est, & nullus datur effectus cum quo
habeat indissolubilem nexum, nisi sola finalis
perseverantia, de qua etiam, ut ostendimus, ne-
mo potest habere infallibilem certitudinem:
Ergo seclusa Dei revelatione, nemo potest esse
certus de sua prædestinatione & salute; quam-
diu est in hoc mundo, ubi ut quidam ait: Est vita in
labris, vita in periculo, salus in dubio.

Si autem quæras, cur hoc secretum voluerit
Deus suis amicis & electis occultare? Respon-
deo idcirco Deum nobis illud voluisse celare,
ut magis simus de salute nostra timidi & sollici-
ti, ut hoc saluari timore, dona gratiæ suæ in
nobis custodiamus. Nam ut bellè Petrus Cel-
sensis: Quasi quidam custos super innumerabiles ge-
nas, sic timor in ultimo carismatum ponitur, ad con-
servandas incompatabiles gratias. Gemma pretiosis-
sima pietas, sed facile ab impietate subripitur, nisi ti-
more custodatur... Habemus bonas & pulchras gra-
tias, sicut timor, qui, ut ait Tertullianus, Funda-
mentum salutis est: præsumptio impedimentum timo-
ris: timor ergo si speremus non posse delinquere: spe-
rando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo
saturi erimus: contra si præsumamus neque timendo,
neque cavendo, difficile salvi erimus.

Dici etiã potest cum Basilio Seleuco, aliisque
SS. Patribus, ideo nobis occultari prædestina-
tionis secretum, ut quò magis celatur meta, ad
Deum diligentius contendamus cursum, & fe-
licitemus ingredi in illam requiem, ut ait Apo-
stolus 11.

A stultus. Unde apud Isaiam cap. 6. volabant Sera-
phici Spiritus, amoris & contemplationis pen-
nis, quia celabatur illis cursus meta, nec sciebat
quò pergerent: velabant enim alis suis Dei pe-
des & caput: Eò quòd, ut declarat Bernardus,
ipso etiam latet quòd ante mundum fuit, quòdve fu-
turum est post consummationem.

Serm. 4.
de verbis
Isaiæ.

DIGRESSIO PRIMA.

De signis prædestinationis.

QUAMVIS Deus decreverit occultum præde-
stinationis mysterium, non præerit tam in
electos suos, sed eos quibusdam signis notavit:
inquit Bernardus serm. 2. in octava Pasche.
Quanam autem sint illa signa, quibus electi a re-
probis discerni possunt, placet breviter hic ex-
ponere, & ex Scriptura & SS. Patribus referre.

Primum ergo prædestinationis signum est sa-
vientis fortuna adversitas, & afflictio pro Chri-
sti nomine æquo animo tolerata. Prædestinatio
enim nostra fuit facta ad typum & normam præ-
destinationis Christi, quem Augustinus appel-
lat. Præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ.
Unde Apostolus ad Rom. 8. Quos præservit, &
prædestinavit conformes fieri imagini filij sui. Præde-
stinatio autem Christi, quantum ad gloriam
corporis, & sui nominis exaltationem, fundatur
in passionibus & ignominis crucis: juxta illud
Lucæ 24. Nonne hec oportuit pati Christum, & ita
intrare in gloriam suam? Unde egregiè Tertul-
lianus: Christus sapos post secula gustavit, nec ante Rex
gloriæ in celestibus salutat, quam Rex Iudeorum
proscriptus in crucem. Ergo similiter (inquit Gre-
gorius) Electorum est hic conteri, ut ad præmia debe-
ant æterna hereditatis erudiri: nostrum est hic flagella
percipere; quibus servatur de æternitate gaudere,
hinc enim flagella omnem suum quem recipit...
Eant ergo nunc reprobi, & voluntatum suarum desi-
deria inultâ iniquitate consumant; atque eò tempo-
ralia flagella non sentiant, quò æterna eos supplicia
expectant.

De Præ-
dest. San-
ctorum
c. p. 15.

Lib. de
c. 11.
m. 11.
cap. 14.
Lib. 26.
moral.
cap. 17.

Item prædestinatio, ut supra vidimus, rectè
describitur: Transmissio creature rationalis in ce-
lestem gloriam. In qua descriptione Deus præde-
stinans sagittario comparari videtur, qui præde-
stinatos veluti tot sagittas in sinum ultimum,
quali scopum mentem, transmittit: tribulatio
verò divina charitatis arcus est, ex quo electi e-
jaculantur. Novit Deus (inquit Augustinus) sagit-
tare ad amorem. Nemo pulchrius sagittat, nemo
certius: nam infallibiliter scopum ad quem col-
limat attingit. Sagittat verò, cum temporalibus
pœnis electos flagellat. Tetendit, ait Jeremias, ar-
cum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam,
immisit in renibus meis filias pharæe suæ, & sagitte
eius ebibunt cruorem meum. Hinc electi, Filij excus-
sorum, à Regio Vate appellantur: quia dum eos
Deus per flagella excutit, quali sagittas in cœ-
lum transmittit.

in Psal.
119.

Thom. 2.

Præterea, electi vocantur ab Apostolo ad Ephes.
1. In Christo signati: quia sicut moneta ut valo-
rem habeat, debet notari sigillo Principis, ita e-
lecti, ut ad regnũ cœleste admittantur, debent in
Christo sigillari, & imaginẽ crucifixi in se expri-
mere, juxta illud Apostoli 2. Corint. 4. Mortifica-
tionem Iesu Christi in corporibus nostris circumferen-

tes.

res, ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. A
 Uade bellissime Tertullianus in scorpiano cap. 6
 Dilectio hominem martyrem Deo excudit. Et in Apo-
 logetico irridens Gentiles, qui ligna & lapides
 sculpebant, & secabant, ut idola conficerent, ex
 hoc infert, per tormenta, Sanctorum corpora
 Deo consecrari. Si per hoc, inquit, causatur aliqua di-
 vinitas: ergo qui puniuntur, consecrantur, & numma
 erunt dicenda supplicia.

Non est etiam omitterendum id quod notat
 D. Bernardus super Cantica, scilicet quod nemo
 potest transire a deliciis in delicias. Ex quo infert,
 quod si quis in hac vita in labore hominum non sint, in
 labore profectio demonum erunt. Quam etiam ratio-
 nem tangebatur Abraham, dum dicebat diviti e-
 puloni: Memento quod recipisti bona in vita tua, &
 Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu
 vero cruciatur. Lucae 16.

30. Secundum predestinationis signum est li-
 benter audire verbum Dei, & delectari termi-
 nibus spiritualibus: juxta illud Christi Domini:
 Qui ex Deo est, verba Dei audit, item: Beati qui audi-
 unt verbum Dei, & custodiunt illud. Unde Bernardus:
 Magna mihi consolatio est, fratres mei, in verbo illo Do-
 mini: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea enim
 vos libenter auditis, quia ex Deo estis. Certitudinem
 utique non habemus, an de numero simus electorum, sed
 spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate
 penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa que-
 dam & indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit cum
 de numero esse electorum, in quo ea signa permanserint.
 Porro inter ea que fiduciam prestant & materiam spei,
 unum illud maximum est, de quo nunc capimus loqui:
 qui ex Deo est, verba Dei audit. Item Chrysologus
 hac verba Christi expendens: Oves mee vocem
 meam audiunt & sequuntur me. Oves bonae (inquit)
 pastoris sui audiunt, attentis auribus vocem, pastoris sui
 semper sequuntur arbitrium, pastoris sui totam faciunt
 voluntatem: ascendunt colles, pecunt ardua, mutant
 sapere regiones; & sic apta passuum, irrigua fluenti um-
 brosa, accommodata, secreta quietis loca penetrant, reperi-
 unt amoenitates, & deliciae perfruntur. Et vos filioli
 quos suo Christus gregi adscripsit, Domini gregis porro
 copiosa, niveo & divino vestita jam vellere, molli sacro,
 celesti germine perfecunda; si per nostra vocis auditum
 ad loca sapere salutaria, ad salutaria pascula pervenistis:
 qua ordinamus attendite, qua dicimus audite.

Serm. 1.
 in Se-
 ptuag.

Serm. 173

31. Tertium signum est inimicorum dilectio, ju-
 xta illud Matth. 5. Diligite inimicos vestros, ut sitis filij
 Patris vestri qui in caelis est. At si filij, ergo heredes, ut
 arguit D. Paulus: Negari ergo non potest eccle-
 sticis gloriae hereditas Christiano, qui parcendo
 inimicis, Dei filius effici meruit. Nunc scio quod
 certissime regnaturus sis in Israel, aiebat Saül ad Da-
 videm, post insigne clementiae ipsius facinus,
 quando scilicet ipsi pepercit, cum facile potuisset
 illi necem inferre. Regum 24. Idem dici po-
 test de Christiano, injuria condonante, & in-
 imicum diligente: Nunc scio quod verè filius
 Dei es, & cum ipso regnaturus in caelo. Salo-
 monis templi, quod caelestis habitationis ty-
 pus fuit, singulae portae ex olivarum lignis erant
 constructae, ut significaretur, quod misericordia,
 & inimicorum dilectio, caeli portas aperit. Dili-
 gere ergo inimicos vestros: Nam dilectio sola (in-
 quit Augustinus) distinguit inter filios Dei & filios
 Diaboli. Vel ut ait Tertullianus: Iubemur diligere
 inimicos, quoque & orare pro eis qui nos persequuntur,
 ut haec sit perfectio & propria bonitas nostra, non commu-
 nis: amicos enim diligere omnium est, inimicos autem
 solam Christianorum.

Tract. 5.
 in epist.
 Joann.
 Ad Scapulam
 cap. 1.

Quartum predestinationis signum est humi-
 litas: Unde Christus Lucae 12. appellat praede-
 stinatos, pusillum gregem, non solum propter elec-
 torum paucitatem; sed etiam ob humilitatem
 devotionem: & quia, ut ait venerabilis Beda,
 Ecclesiam suam, quantalibet numerositate jam disten-
 tam, tamen usque ad finem mundi humilitate vult cres-
 cere, & ad promissum regnum humilitate pervenire. Item
 D. Gregorius exponens illud quod dicitur de Le-
 viathan Job. 41. Omne sublime videt, ipse est Rex super
 omnes filios superbiae, subdit: Quia redemptor nostri
 corda regum humilium; & Leviathan ipse Rex dicitur su-
 perborum, aperte cognoscimus quod evidentissimum re-
 proborum signum superbia est; ac contra humilitas, ele-
 ctorum.

Quintum predestinationis indicium est de-
 votio singularis erga sanctissimam Virginem,
 quae est veluti via lactea, qua electi pergunt ad
 Regis caelestis palatium, & mystica scala Jacob
 per quam Deus descendit in terram, & homo
 ascendit in caelum. Haec (inquit Doctor mel-
 fluus) peccatorum scala, haec mea maxima fiducia. Haec
 tota ratio spei mea. Sicut ergo impossibile est (addit An-
 selmus) ut illi a quibus oculos hae misericordiae avertit,
 salventur; ita necessarium est, ut hi ad quos converit
 suos suos pro eis advocans iustificentur, & glorificentur.
 Unde merito ei applicat Ecclesia illud Eccl. 1.
 In electis meis inverte radices. Et illud Pro-
 verb. 8. Qui me invenierit, inveniet vitam, & habiet
 salutem a Domino. Plerique etiam Mariae nomen
 istellam interpretantur, nec immerito, Maria quippe
 (ait Damianus) juxta sui nominis praefigium, san-
 cta portendit. Maria bona est predestinationum
 fortuna. Qui sub hac stella feliciter nascitur &
 vivit, fortunatè vivet, & ipsa propitia, quo ten-
 dit, feliciter perveniet.

Sextum divinae predestinationis signum est
 futurae gloriae spes firma. Illa enim non solum de
 praemio securus, sed praeproptere beatus facit, &
 caelestem gloriam praehibere incipit. Hinc Philo
 Judaeus spem vocat, Gaudium ante gaudium, & pre-
 sensionis futurae inchoationem. Imò Chryostomus in
 sermone de spe ait: Fides gloriam inchoat, & spe
 sustinendo consummat. Haec religionis anchora, si-
 dei fomes, virtutum vigor, difficultatum omnium
 victrix, baculus nostrae peregrinationis, &
 nostrorum laborum refrigerium & levamen.
 Hanc (inquit Augustinus) in terram sanctam, saepe
 quam anchoram praemisimus, ne in isto mari turbidum
 naufragaremus. Quemadmodum enim de navi qua in
 anchoris est, rectè dicimus quod jam in terra sit, licet ab-
 huc succinet: sic contra hujus peregrinationis nostrae
 stationes spes nostra fundata est in illa civitate Ierusalem.

Alia salutis & predestinationis signa referunt
 Bernardus serm. 1. & 2. in octava Paschae, ubi
 expendens haec verba 1. Joan. 5. Tria sunt quae
 testimonium dant in terra. Spiritus, aqua, & sanguis, haec
 exponit de signis nostrae predestinationis & salu-
 tatis: ita ut per spiritum intelligat exercitium
 operum spiritualium, per aquam, fontem lacry-
 marum, ad ablenda peccata; & per san-
 guinem, sanguinolentum poenitentiae martyrium,
 ad pravas affectiones perimendas. Videri etiam
 potest Vivaldus in opere regali, ubi de signis
 predestinationis fulissime disserit.

E

DL

DIGRESSIO II.

De parvo numero electorum.

Etiam & exploratum est apud omnes, quod si loquamur de omnibus omnino hominibus qui sunt in mundo, tam infidelibus quam Christianis, tam hæreticis quam Catholicis, multo major est numerus reproborum, quam prædestinatorum. Nam Christiani pauci sunt, comparati infidelibus: ut Gentilibus, Turcis, Judæis, & Mahometanis, & inter ipsos Christianos plures sunt hæretici, & schismatici. Unde dicit Angelus ad Elzram, 4. Elzræ cap. 8. (licet hic liber non sit canonicus.) *Hoc seculum fecit Deus propter malos futurum propter paucos.* Et infra: *Multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur.*

Ratio etiam suffragatur: Primò quia prædestinati sunt amici Dei, & prædestinatio est specialis ac singularissima Dei amicitia: At una ex conditionibus ad amicitiam requisitis, est quod sit circa paucos, ut docet Aristoteles lib. 8. Et hic, & ibi D. Thomas lect. 6. Ergo prædestinati, comparative ad reprobos, pauci sunt.

Secundò, Prædestinati sunt veluti Reges & Principes, reprobi vero ut ipsorum famuli & servi; unde Proverb. 11. dicitur: *Qui stultus est servus sapienti.* Et Malach. 1. *Major serviet minori,* quod didicimus est de Esau typo reproborum, in ordine ad Jacob, qui eximiarum est prædestinatorum: Sed quilibet Rex multos debet habere servos, & semper sunt plures servi & famuli, quam Principes & Domini: Ergo & plures reprobi quam electi.

Tertiò, Omne pretiosum solet esse rarum & non vulgare, ut constat in auro, gemmis, unionibus, & lapidibus pretiosis: unde Seneca epist. 42. *Mediocri & in servitiam natura sæpe natura produxit, eximia vero ipsa raritate commendat.* Sed prædestinatio in Scriptura lapidibus pretiosis comparatur: reprobi vero sicuti & lutus: Ergo prædestinati pauci sunt, comparative ad reprobos. Hoc præmissis,

Restat difficultas & controversia inter Theologos, an ex Christianis, qui verè tales sunt, & qui in fide Christi, & S. Romanæ Ecclesiæ obedientia, extra quam non est salus, vivunt, & moriuntur, plures sint prædestinati, quam reprobi?

Patrem affirmativam tenent Sylvester in Romana aetate Traçt. 2. super Evang. Dominicæ in Septuagesima, Suarez de prædest. lib. 6. cap. 3. Grapado traçt. 12. disp. 4. Ruiz disp. 54. qui plures ex Catholicis salvari putant; & inter hos Ruizius, devoto sexui favens, asserit plures fœminas esse prædestinatas, quam viros.

Sententia tamen negativa communior est inter Theologos, ut faceret Suarez loco citato num. 5. eamque docent Cajetanus super cap. 25. Matthæi. Vazquez & Molina super art. 7. hujus quest. Alvarez de auxiliis disp. 43. Philippus à S. Trinitate hic disp. 17. dub. 4. & ex Scripturæ interpretibus, Nicolaus de Lyra, & Maldonatus citati à Vazque, & Cornelius à lapide in cap. 24. Numerorum.

Verùm quis hominum scire potest consilium Dei, aut quis consiliarius ejus fuit? ut ait Apostolus; præsertim in hoc occultissimo & obscurissimo mysterio, quod meritò sacratissimum & secretissimum fidei anigma appellari potest? Melius certe esset hac in parte judicium suspendere,

A & nihil in particulari circa electorum numerum definire, sed potius per electorum semitas sollicitum esse ambulare, ac sobriam S. Thomæ sententiam sequi, qui hic art. 7. cum Ecclesiæ sententiam, inquit: *Melius dicitur quòd soli Deo cognitus est numerus electorum, in superna felicitate locandus.*

Quia tamen sapientibus & insipientibus debitorum sumus, & aliunde hujus quæstionis resolutio utilis esse potest ad excitandum in nobis Dei timorem, qui est initium sapientiæ, ac fundamentum salutis, & ut loquitur D. Ambrosius, *Clarus anima fluctuans*: placet breviter hic ostendere sententiam quæ asserit, ex Christianis & fidelibus multò plures esse reprobos, quam electos, Scripturæ, SS. Patribus, & historiarum Ecclesiasticarum magis esse consonam, quam aliam, quæ nuncietur electorum docet excedere multitudinem reproborum.

In primis ergo formidabilis est hæc Christi sententia, quam non semel, sed pluries in Evangelio expressit, & sæpius inculcare voluit, *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* quam sententiam plures ex SS. Patribus, & Scripturæ Interpretibus, ad ipsos etiam fideles & Christianos extendunt: ut Augustinus contra Crefconium lib. 3. cap. 76. Chryostomus homil. 24. in Acta Apost. Gregorius homil. 19. in Evangel. Lyranus, & Carthusianus, aliique Scripturæ Interpretes.

C Item Christus Luca 13. cuidam interroganti: *Domine si pauci sunt qui salvantur?* Respondit: *Contendite intrare per angustam portam, multi dico vobis querent intrare, & non poterunt.* Quibus verbis confirmavit Dominus quod audivit, (inquit Augustinus serm. 32. de verbis Domini) paucos scilicet esse qui salvantur, voluitque hoc responso legnitiam ac desidiarum nostram excitare & increpare: dum ex una parte videntes majorem partem fidelium, non admodum asperam vitam ducere, & ex alia existimantes majorem partem illorum salvari, aliqualem fiduciam concipimus, quòd licet negligentiores simus, neq. admodum in nos severi, & etsi aliquandò consentiamus, delectationibus sæculi frui, adhuc salvabimur, & penitentiarum locus dabitur. Dominus autem radices has præscindere cupiens, & omnem à nobis socordiam & negligentiam excutere, oculos nostros ad difficultatem adipiscendæ salutis erexit: *Contendite,* inquit, *intrare per angustam portam.* Quasi dicat, nolite solatium quærere pro vestra incuria & desidia, cogitando quòd plures salvantur, etiam mediocri curâ & studio, sed alacres estote, & valde solliciti ad contendendum intrare per angustam portam, *Quia multi querent intrare & non poterunt.* Id est, quia etiam ex his qui non omnino torpescunt, & jacent in suis vitiis, sed etiam aliquantulum de sua salute solliciti sunt, & querent intrare in cælum, non poterunt.

D Præterea Isaia 17. et 24. numerus electorum comparatur paucissimis spicis, quæ à messoribus relinquuntur in agro, et rarissimis olivarum bacis, quæ excusâ oleâ remanent in ramorum cacumine, vel panicularum granis, quæ remanent in vinea, finita vindemia. *Et erit* (inquit Propheta) *sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium ejus sicut as leget, & erit sicut querens spicam in valle Raphaim, & relinquetur in eâ sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami.* Et cap. 24. *Quomodo si pauca oliva quæ remanserunt, excutiantur ex olea, racemi cum finita fuerit vindemia. Quæ verba expendens Hieronymus ibidem ait: Tanta erit*

40.

erit Sanctorum paucitas, de quibus Dominus loquitur in Evangelio, multi vocati & pauci electi, ut eorum paucitas bacca olivarum rarissimis comparetur, quae cum excussa fuerint atque demissa, vix pauca remaneant in ramorum cacumine? & quomodo cum fuerit finita vindemia, solent pauperes, egestate cogente, vacuas circuire vites, & pauca uvularum grana colligere. Unde etiam ab Apostolo electi, Reliquiae appellantur, quia pauci: ad Rom. 9. Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiae salvae sunt. Et cap. 11. Reliquiae per electionem gratiae, salvae factae sunt. Ex quibus omnibus testimonio hinc, numerum praedestinatorum esse valde exiguum, comparative ad multitudinem reproborum.

41. Quod potest confirmari ex eodem Apostolo ad Ephes. 1. ubi loquens de electis inquit: Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum. Et ad Ephes. 1. Sorte vocati estis. Ubi electos dicit esse sorte vocatos, ut eorum paucitatem designet. Nam sicut sortes, cum inter plura hominum millia mittantur, paucissimi tamen contingunt, & interdum insipientibus & pauperibus, relictis sapientibus & divitibus: ita paucissimis, inter multa hominum millia, fors praedestinationis contingit, & saepe eliguntur pauperes, insipientes, rustici, & ignobiles: relictis divitibus, sapientibus, nobilibus, & Regibus ac Principibus. Unde idem Apostolus 1. ad Corinth. 1. Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulti sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus. &c.

42. Eadem veritas illustrari potest, & salvandorum paucitas amplius demonstrari ex variis figuris, quibus Deus eam in Scripturis declarare voluit. Nam aquis diluvij omnes, excepto Noë, & familia ejus, perierunt; & ut dicitur 1. Petri 3. Pauci, id est octo anime, salva factae sunt per aquas Omnes habitantes Sodomam, & finitimas regiones, excepto Loth, & filiabus ejus, flammis ultricibus consumpti sunt, Genes. 19. Ex sexcentis millibus pugnatorum qui egressi sunt de Aegypto, nullus praeter Josue & Caleb, in terram promissam, quae fuit regni caelestis typus & figura, ingressus est, Numer. 14. In devastatione Jericho sola Rahab cum suis servata est, Josue 6. Denique, ut notat Augustinus Tract. 122. in Joann. & alii SS. Patres duplex nobis à Joanne Evangelista Apostolorum piscatio, ipsius Christi iussu facta, proponitur Prima initio suae praedicationis: secunda post illius resurrectionem. Prima bonos & malos significat, quos nunc habet Ecclesia. Secunda tantummodo bonos, quos habebit in aeternum, completam in fine mundi resurrectionem mortuorum. In prima capta est multitudo piscium tanta, ut & rete scinderetur, & impleta duo navigia mergerentur. In secunda vero, quae ad dextram navigij (per quam beatitudo designatur) facta est, pauci pisces capti sunt: scilicet centum quinquaginta tres, ut hac paucitate piscium, paucitas electorum designaretur.

43. Accedunt etiam testimonia SS. Patrum. Nam Chrysostomus homil. 40. ad populum ait: Quot esse putatis in civitate nostra qui salvi fiant. Insestium quidem est quod dicturus sum, dicam tamen: Non possunt in tot millibus centum inveniri: quin & de his dubito: quanta enim in juvenibus quassa multitudo, quantum in senibus corpora, &c. Quae verba, licet videan-

tur per hyperbolem dicta, certissimum tamen existimat Chrysostomus, plures damnati quam salvati. Augustinus l. b. 3. contra Cresconium Grammaticum cap. 66. dicit quod Boni verius Christiani sicut seipso multi sunt, in comparatione malorum pauci sunt: sicut multa grana quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione peccatorum. Et alibi ad id probandum adducit locum illum Genesis 22. Sicut stella caeli, & sicut arena maris, sic erit semen tuum. Ubi per stellas caeli electos intelligit, & per arenam maris, reproborum. Unde ex Augustino, in quo numero arenarum excedunt stellas caeli, in eodem, numerus reproborum excedit numerum electorum.

B Item plures Scripturae interpretes, extendentes verba illa Sponsi Cant. 2. Sicut ilium odor spinas sic amica mea inter filias, docent quod illius spinarum huiusmodi quantitatem excedunt, sic praedestinatorum numerus, à reprobis longe superatur. Et notant quod Scriptura non dicit, sic amica mea inter extraneas, sed inter filias: ut per hoc designetur, numerum reproborum excedere numerum praedestinatorum, non solum per comparationem ad Gentiles & infideles, qui sunt extra Ecclesiam, sed etiam per comparationem factam inter ipsos fideles & Christianos, qui sunt Ecclesiae filij. Unde D. Gregorius homil. 19. in Evang. Ad fidem plures veniunt, sed ad vitam pauci perducuntur.

C Quod potest etiam ex historia Ecclesiastica confirmari. Nam Baronius ad annum Christi 976. num. 3. tomo 10. narrat Beatum Nilum Abbatem, inter spiritalia colloquia, dixisse aliquando, Quod ex decem millibus vix reperitur una anima huic temporibus, quae ad manum sanctorum angelorum perveniat. Quo auditio capterunt omnes quasi uno ore dicere: Absit, hoc non est verum, haereticus est qui hoc dicit, &c. Quibus Beatus Nilus respondit, & dixit: Si verò demonstraveris verbum, Magnum Basilius, & Chrysostomus, Epiphanius, & Theodorum Studiam, sed & apostolum ipsum, nec non sanctum Evangelium, eadem sentientes dicentes, quid patiemini vos, qui in conspectu apruantes eo loquimini, & Spiritus sancto adversariis, & sanctorum Patrum metuenda verba haereticus tribuitis: Haec Baronius loco citato.

D In ejusdem veritatis confirmationem, refert Cornelius à lapide, in caput 14. Numer. formidabilem historiam, quam hic de verbo ad verbum transcribam. Cum (inquit) D. Bernardus Abbas Clarevallensis, ab hac vita migrasset, quod contigit anno Domini 1133. horrenda visio Lingonensi Episcopo facta est. Apparuit enim quidam Eremita quidam mortuus, quem viventem olim noverat, qui divino timore compunctus, ante aliquot annos, cum esset Decanus, dives, & nominatus, omnia contemnens, eremitorium pro Christi amore intravit. Quam cum de statu suo, & divini iudicij distributione interrogasset, ille respondit: Eam horam in qua ego corpore migravi, triginta hominum millia ab hac terra transferunt: e quibus Bernardus, Clarevallensis abbas, quae eadem hora obiit, una mecum ad caelos evolavit: dum alii ad purgatorium missi sunt: ceteri omnes, per poenitentiam summi iudicis condemnati, ad infernum perpetuo cruciandi descenderunt. Intelligite haec qui obli-

E viscimini Deum, Psalm. 49. Dices primò, In Scriptura multitudo electorum vocatur innumerabilis: Apocal. 7. Multitudinem magnam quam innumerare nemo poterat, &c.

ARTICULUS PRIMUS.

An, & quid sit reprobatio?

S. I.

Utraque difficultas resolvitur.

Dico primò: Dari in Deo reprobationem, seu decretum aliquod efficax, & immutabile, quo ab æterno aliquos homines & Angelos voluit à gloria excludere. Ita definitur in Concilio 3. Valentino can. 3. his verbis: *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Item in Scriptura sæpe fit mentio expressa reprobationis, præsertim toto cap. 9. Epistolæ ad Romanos: aliquando verò sub parabolis & figuris, ut Matth. 13. ubi regnum cælorum simile dicitur *sagena misse in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta, esset educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Quæ verba expendens Chrysologus serm. 47. sic ait: *Similitudo hac prodit, cur in Apostolatam piscatores elegerit Christus, & captores piscium fecerit hominum piscatores, ut divini iudicij typus arte piscatoriæ monstraretur. Pisces congregat captura consusos, sed in vasa discretio dat electos: sic vocatio Christiana iustos & iniustos, malos, bonosque congregat, sed bonos malosque electio divina discernit.*

Præterea, in Sacris Paginis id dicitur reprobum, quod cum habeat necessaria ut possit consequi finem, ab illo tamen deficit. Sic Apostolus ad Hebræos 5. vocat reprobam terram illam, quæ habens sufficientem humorem ad fructificandum, producit tamen spinas & tribulos, eò quod deficiat à fine ad quem fuit creata à Deo, scilicet ut daret herbam virentem, & facientem fructum suum, ut dicitur Genesis 1. Item quia cognitio veritatis est finis intellectus, & voluntas ad bonum morale ordinatur: Gentiles à cognitione veritatis fidei deficientes, dicuntur ab eodem Apostolo ad Roman. 1. *raditi in reprobum sensum.* Et ad Titum cap. 1. homines male operantes, vocantur *ad omne opus bonum reprobi*: Sed multi sunt homines qui habent auxilia necessaria ut possint consequi suum finem, qui est vita æterna, qui tamen ab illo deficiunt, ut constat experientiâ: Ergo multi sunt homines reprobi.

Denique eadem veritas triplici ratione D. Thomæ demonstrari potest. Primum sic proponit hic art. 3. *Prædestinatio est pars providentiæ: ad providentiæ autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus quæ providentiæ subduntur: unde cum per divinam providentiæ homines in vitam æternam ordinantur, pertinet etiam ad divinam providentiæ, ut permittat aliquos ab isto fine deficere, & hoc dicitur reprobare.*

Secunda habetur super cap. 9. Epistolæ ad Roman. lect. 4. ubi S. Doctor sic discurre: *Considerandum est quòd finis omnium divinatorum operum est manifestatio divine bonitatis. Proverb. 16. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum. Tanta est autem divine bonitatis excellentia, quòd non potest uno modo, nec in una creatura sufficienter manifestari, & ideo diversas creaturas condidit in quibus diversimodè manifestatur, præcipuè autem in creaturis rationalibus, in quibus ejus iustitia manifestatur, quantum ad eos quos pro*

K

eorum

omnibus gentibus, tribus, populis, linguis, stantes ante Thronum: Ergo ex Scriptura major saltem pars fidelium salvatur.

Sed negatur Consequentia: Nam ut notat Augustinus locis supra allegatis, licet prædestinati absolute loquendo, & nullâ factâ comparatione sint multi; respectu tamen multitudinis reprobatorum paucissimi sunt. Sicut licet multitudo stellarum sit maxima, & ferè innumerabilis, exigua tamen est, si comparetur cum arenis quæ sunt in litore maris. Unde ibidem annotavit S. Thomas, quòd cum dicitur: *Ex omni tribu, lingua, populo, natione, illa dicitio ex delectum quendam & segregatiorem paucorum ex multis denotat, & paucitatem electorum designat.*

Dices secundo, Non est minor Dei providentiæ circa homines, quam circa res alias naturales. Sed ex aliis rebus naturalibus plures consequuntur finem, quam ab illo deficiant, ut ex se patet: Ergo etiam ex hominibus plures consequuntur finem vitæ æternæ, quam ab illo deficiant, ac proinde plures sunt prædestinati quam reprobi.

Respondeo cum D. Thoma hic art. 7. ad 3. negando Consequentiam, & paritatem: Nam bonum, inquit, proportionatum communi statui nature, accidit ut in pluribus, & deficit ab hoc bono ut in paucioribus: Sed bonum quod excedit communem statum nature, invenitur ut in paucioribus, & deficit in pluribus. Cùm igitur beatitudo æterna, in visione Dei consistens, excedat communem statum nature, & præcipuè secundum quod est gratiæ deservita, per correptionem originalis peccati, pauciores sunt qui salvantur.

DISPUTATIO V.

De Reprobatione.

Hortatur Propheta Regius fideles inter medios cleros, sive ut habet alia versio, inter medias sortes, recumbere. Quod propterea dictum putat Bernardus: *Quoniam est inter timorem & securitatem, tanquam inter levam & dexteram, media videlicet spes, in qua mens & conscientia, molli nimirum supposito charitatis strato, suavissime requiescit. Quatenus scilicet spes à timore repressa, & Dei protectione eversa, per infernorum, cælestiumque considerationem, in salutari medio constituitur. Hoc enim modo (inquit idem Bernardus) sepe cellarum incolæ in celum ascendunt, & in infernum descendunt. Sicut enim assidue contemplando revivere amant gaudia cælestia, ut ardentius ea appetant; sic & dolores inferni, ut horreant, & refugiunt. Et hoc est quod propter salutem deprecatur Regius Vates, dicens: *Descendant in infernum viventes, videlicet ne hic descendant morientes.* Postquam ergo per considerationem mysterii prædestinationis, in cælestem patriam, spe futura gloriæ, ascendimus, & cælorum excelsa penetravimus; oportet, ut memi & consideratione reprobationis æternæ, in profundum inferni descendamus, & miseram reprobatorum sortem contemplemur. Agemus ergo primo in hac disputatione de existentia & essentia reprobationis. Secundò de ejus causa motiva. Tertiò de illius effectibus. Et ultimò, an Deus omnibus reprobis, tam parvulis, quam adultis, media ad salutem sufficientia conferat, discutiamus.*

Tom. II.